

- 25 *Circumstantia que ita peccatum adaugent, ut ex parvo magnum, vel ex magno maius efficiant, an sint consideranda? & n. 26. & 27.*
- 28 *Virginitatis circumstantia, si voluntas fornicandi non pervenit ad actum, an sit necessario consideranda?*
- 29 *Peccata voluntatis & operis sunt eiusdem speciei, & solum differunt secundum diversos gradus, hoc est, secundum maiorem vel minorem malitiam.*
- 31 *Cap. consideret, in princip. de peniten. dist. 1. & interpretatur.*
- 33 *Cap. 16. Leuitici, quomodo intelligatur?*
- 38 *Quando aliquid dicitur esse verum per legem, rationem & auctoritatem sufficientem, non censetur res dubia, etiamsi contrarium maior pars doctissimorum teneat.*
- 39 *Non semper iustus pars est eligenda, cum satis sit eligere iutam.*
- 40 *Faciens aliquid dubitans, an sit peccatum mortale necne, peccat mortaliter.*
- 41 *Aliud tamen est dubitare, an tale quid sit faciendum aliud vero credere ratione probabili & auctoritate alicuius illustrius Doctoris id admonenti. Resolvitur esse verissimam sententiam atque communem calculo Doctorum probatam, circumstantiam diei festi, quo peccatum admissum est, non esse necessario considerandam, quamvis laudabile sit, eam sacerdoti preparare. praterquam si peccatum commissum ea mente ab aliquo esset, ut festum violaret.*

C A P V T X X X I.

An circumstantia festi, ab eo, qui peccatum mortale commisit eo in die, sit necessario consideranda sacerdoti?

V A M V S quæstio hæc satis controversa & la-tilissime actitata sit inter factæ paginæ ac luris Canonici professores, adeo, ut opus non esset eidem operam vllam dare: Attamen, quia ex illustribus & difficilioribus, nec non ex frequentioribus est, brevitati, illustri ac claro stylo, nec non consueto more illam percurram, vt ab eis, qui suis philatris verbisq; prolisius atque subfocuris eam dilatant, caueat, quisquis breuitatem atque ingenij perucidam claritatem amauerit.

Pars igitur affirmatiua, quod circumstantia temporis festi, in quo peccatum lethale est admissum, sit necessario consideranda, vt potè duplîci capite mortali Deo offendatur: primo ex ipso actu lethali, secundo, ex violatione festi, sequentibus astituit fundamentis.

- 1 *Primo, ex text. in cap. consideret, in princ. de peniten. dist. 1. ubi in tempore: & rursus: In tempore orationi confitenti, vt festiuitates Sanctorum & tempora ieiunij, ubi expresse canetur, vt consideretur in proposito ac consideretur circumstantia temporis festi, sicque distinguitur peccatum die festo commissum ab in pio festo perpetrato.*
- 2 *Secundo, quia omnis illa circumstantia est necessario consideranda, quæ specialiter cum ratione repugnantiam habet, vt late probat Nauat. in d. cap. consideret, in princ. in prima anotatione, ac circumstantia hæc temporis facti specialiter rationi repugnat videtur, nempe, vt quod tempus Deo laudando est dicatum, in ipso offendendo impendatur: vnde visum quibusdam est, obligari Christianum ad diligendum Deum super omnia diebus festiuis. & sic ad abstinendum à mortali culpa & peccato, ob illud peculiare præceptum de obseruatione festorum, quasi sit nouum peccatum, quod eo tempore mortalem culpam contraxerit: Nam cum sit affirmatiuum præceptum de sanctificatione festorum ad famularum pertinens, famularum aures Deo gratas sit, ille, qui intus in mente exhibetur, ad hunc potissimum nos obligare videtur: videtur enim quod extra caritatem*

non possint impleri præcepta diuina vel Ecclesiæ, nec eorum aliquid, quate violatur præcipue, si quis eo tempore mortale peccatum commiserit.

Tertio, quia qui facit peccatum, factus peccati est, iuxta illud lo. 8. opus autem ferule prohibetur fieri die festo, Exod. 20. iuncto cap. 23. Leuit. Ergo per consequens prohibetur fieri peccatum mortale in die festo: quod si lecus fiat, necessarium considerandum est.

Quarto, quod suffragari videtur text. in c. 16. Leuit. ubi dicitur: Sabbatum requiescentis est; affligetis animas vestras, & sibi: Ab omnibus peccatis vestris numerabuntur: & rursus cap. 23. Affligetis animas vestras, omne opus ferule non facietis in die hac. Omnis anima, que afflicta non fuerit in die hac, peribit de populo suo, vt propitius vobis Dominus.

Quinto, probatur hæc prior opinio auctoritate Diuini Ambrosij super illud Luca 13. Archisynagogus indignans, quod Iesus Sabbatho curasset, &c. qui ait: Lex in Sabbatho non hominem curare, sed seruilia opera facere, id est, peccatis grauari prohibet, vt habetur in gloss. ordinaria ibidem: quod ipsum August. tradidit Epist. ad Januar. 119. & consentit Theophilus super Ioan. c. 5. Item gl. Matthei 1. & 3. Si licet Sabbathis beneficere: at opus ferule peccatum est, à quo Christus docet nos Sabbatho abstinere. Glossa præterea ordinaria super illud Luca. cap. 14. Cuius vestrum bos aut asinus in puteum cadit, &c. ait, in festis à malis, non à bonis operibus feriandum esse. Idem comprobatur ex Diuo August. de decem chordis, dicens: Melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vile, quam si in theatro scditus existeret: & melius femina eorum, in die Sabbathi lanam faceret, quam quod tota die Neomænis impudice saltarent.

Sexto, quod eadem pars comprobatur, quia validum est argumentum de tempore ad locum, & e contra, vt in l. vinum, & ibi Doctores scilicet fecerit. per. & in l. sin. & ibi Barr. ff. de iur. iur. Euerard. loco 40. sed per peccatum, in loco facio scienter commissum, fieri sacrilega iniuria mortalis vel venialis, secundum qualitatem modumque peccati ibi commissi: quod communiter tenent Doctores, quando locus facit obiectum talis actus peccati interioris, puta voluntatis furandi, occidendi vel aliquem infamandi in Ecclesia vel etiam locus facit non sit obiectum, sed circumstantia actus peccati exterioris, hoc est, quod actu committitur, vt resoluit post alios Ant. à Cordub. lib. 1. sui questionar. quæst. 6. in 2. opposit. vers. sic secundo principaliter. Ergo similiter per peccatum mortale in festo commissum sit ei aliqua specialis iniuria & irreuerentia sacrilega, maior vel minor, secundum peccati commissi qualitatem.

Septimo, quod hæc sententia approbata videtur hodie in Concilio Colonienfi, anno Domini 1536. celebrato, in tract. de exteriori peniten. fol. 180. ubi docetur, quod bis peccat, qui diem Dominicum scortis, rixis & pugnis & aliis obsecenis agit.

Octauo & vltimo, pro hac parte citari solet doctrina S. Tho. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. que ipse hoc videtur expresse, asserentis, quod opera ferulilla primo & secundo modo (hoc est) mechanica & peccata, contrariantur obseruantia quæ Sabbathi, in quantum impediunt applicationem hominis ad diuina, & quia magis homo impeditur à rebus diuinis per opus peccati, quam per opus alias licitum corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat mortaliter in die festo, quam qui aliud corporale opus alias licitum facit: & ibi ad hoc refert illud Aug. quod prædiximus: Ergo circumstantia hæc necessario est consideranda, præcipue quia in dubio iustus pars est eligenda, vt inueniunt de sponsale ad audientiam, de homicid. Confirmatur ex traditis per S. Bonauent. in 3. sent. dist. 37. in gl. marginali super rex. Magist. §. 6. & 7. dicentem, quod à fortiori opera carnalia & ebrietates, lites & iurgia, quæ maxime repugnant spiritui libertati, ne homo Deo ya-

cc.

ect, dicuntur suntque opera ferulilla, & in hoc præcepto sunt prohibita potius quæ a opera mechanica & quam negotia terrena, quæ autem distrahunt, ne homo diuinis intendat, secundum August.

Erit ita in terminis hanc priorem sententiam, quæ affirmatiua est, expresse tenet atque probat Alex. Aen. in 3. p. q. 32. memb. 3. art. 2. ubi ait: Eum, qui mortaliter peccat in die festo, vnum quidem peccatum peccare, quantum ad actum, duo vero quantum ad reatum, scilicet, qui virginem deslorando necat, & Alb. Mag. in 3. dist. 37. & Nicol. Lyr. hanc partem affirmatiua super id Matr. 12. Si licet Sabbatho curare, & Exod. 20. quem sequitur D. Ant. in 3. part. sua Summa. tit. 14. c. 19. §. 7. & tit. 17. c. 17. §. 5. col. 2. & Maior. in 4. sent. dist. 17. q. 4. Adrian. etiam in 4. conf. q. 4. vers. venio nunc, & in 8. quodlib. art. 1. Geslon Alphab. 32. l. 1. 7. Scotus & Gabriel. in 3. dist. 37. & hic etiam in 4. dist. 17. q. 1. conclus. 4. Angelus in moral. c. 8. de circumstant. temp. agens, Ioannes à Med. de conf. q. 10. & de oratione, quæst. 19. præceptorum, Nider. in 3. præcepto, c. 1. & c. 9. Summa Angel. in verb. confessio, §. 22. & in verb. feria, §. 36. & in verbo, interrogations circa tertium præceptum, & verb. præceptum, §. 5. & Summa Rosel. verb. confesse, 2. §. 7. & verb. feria, §. 6. & Amb. Catharin. contra Caiet. lib. 5. ubi de Sacrament. confessio, Abulen. Exod. 20. q. 1. in fin. & quæst. 12. Hanc partem etiam, & verbosè probauit Anton. à Cord. d. lib. 1. sui quæst. 6. in 2. opin. per totam, ubi eam communem omnibus Doctor. antiquis pluribusq; modernis appellat, & quod ideo tanquam venior amplectenda est, contraria vero, vt potè, nisi paucis Neoterics probata, sed nec factis tuta, refutando videtur.

Supra scriptis tamen non obstantibus, verior & procul dubio tenenda est contraria sententia, imo quod circumstantia temporis non sit necessario consideranda, tamen accidentarie aggrauat & ideo consilium sit eam confiteri, ex sequentibus fundamentis. Primo, quia nullo speciali præcepto prohibetur fieri peccatum mortale in die festo: Sin, aliqua talis prohibicio esset, maxime foret illa: Non facies omne opus ferule, quod colligitur Exod. 20. iuncto c. 23. Leuit. sed per illam scilicet prohibetur opus manuale mechanicum, quia solum illud dicitur ferule, secundum Thom. in 3. sent. dist. 37. art. 5. §. 1. ad 2. ergo peccata mortalia, quæ aliqui non sunt, opera manualia, non prohibentur per illud præceptum, festo die fieri. Præterea peccatum mortale non contrariatur præcepto de sanctificatione festorum: Nam illo tantum præcipitur quis facere tunc aliquem cultum lætæ exteriorem, indeterminate quidem lege naturali atque diuina, determinatum autem nunc per Ecclesiam, scilicet dicere vel audire Missam, & cessare, quod ab opere ferulilla realiter & proprie, non vero mystice intellectu: Nam illud vltimum, quod est huius præcepti finis extrinsecus & ad quem præceptum ordinatur, veluti ad finem, scilicet, cultus interior per fidem & caritatem; non est id quod præcipitur, & ideo non cadit sub præcepto, secundum Thom. ubi supra, quia iuxta communem Theologorum sententiam, præcepta quæ non obligant ad intentionem præcipientis vel ad finem extrinsecum, sed ad iantum,

quod præcipitur, vt refert & probat Cord. ubi supra in 1. opin. peccatum n. in actu vel in reatu non impedit auditionem Missæ obligationem. Quare cum ex facta scriptura minime colligatur argumen. ethicæ, nisi iuxta sensum litteralem, secundum Thom. receptum in 1. p. q. 1. art. fin. ad 1. vt refert Nauat. in d. cap. consideret, in princ. num. 24. de penit. dist. 5. & iuxta litteralem & proprium sensum, appellationem operum ferulillum sola veniant mechanica manualia, secundum Thom. etiam receptum in illa dist. 37. consequitur manifestissime, peccatum die festo commissum, non contrariari præcepto de sanctificatione festi, ac per consequens huiusmodi circumstantiam non esse necessario considerandam. Quod ex eo itidem confirmatur, quia præcepta omnia mortalia, non in sensu spiritali & metaphisico, sed secundum planam litteram intelligenda sunt, vt cunctis est notissimum. Quia stylus mores instituendi, non debet esse translatiuis, sed planus: peccata vero non dicuntur ferulilla opera in sensu litterali, sed per metaphoram, vt infra laicius dicitur in responsionibus ad fundamenta contrarie partis. Cum ergo iubemur cessare ab opere ferulilla, non cohibemur, nisi ab operibus, quæ communi vulgo ferulilla nuncupantur, puta quibus homines hominibus ferulilla: Nam vis specialis præcepti quæ est consideranda, ad hoc, vt necessario sit circumstantia illius consideranda, vt habet communis Theologorum sententia, secundum Conar. in c. alina mater, 1. p. §. 5. num. 3. ad 1. de sentent. excom. lib. 6. Igitur festi circumstantia non est consideranda, cum specialis præceptum peccatum in his diebus festis prohibentur non sit.

In idem facit, quia finis extrinsecus præcepti non est in hoc præcepto, secundum Thom. receptum 1. 2. q. 100. art. 9. ubi per hoc includit, modum virtutis non cadere sub legis præcepto, & 2. 2. q. 44. art. 1. affirmat, finem præcepti, quod fertur de virtute aliqua morali, caritatem esse, iuxta illud Paul. 1. ad Thimo. 1. Finis præcepti est caritas, facit, quia secundum August. in c. videt, 23. quæst. 6. nemo quidem in uitus sit bonus, vnde supposita necessitate, omnes debent cogi ad subeunda ea media, quibus tandem volentes, boni fiunt. Tertium igitur Decalogi præceptum non præcipit finem illius, scilicet, quietem in Deo per gratiam & caritatem, sed id quod est medium, quoad illam perueniamus quietem, nempe eorumque & exteriorem quandam cultum, quo in interiorum inducamur: & ita vt receptissimum Ecclesiæ vltus habet, præter auditionem Missæ, qui est cultus externus cum decenti reuerentia & attentione, à quo ille actus externus proficiscitur, & cessationem ab opere ferulilla, nullus alius cultus est in præcepto diebus festiuis, præter illum quem Ecclesia exprimit: temerarium ergo esset, aliud ligamen superaddere: Consequitur igitur, vim præcepti sanctificationis Sabbathi tertio loco positi, non ad intentionem dilectionem aut contritionem, quæ est finis præcepti, cum ipse non cadat sub præcepto, sed ad exteriorem cultum spectare, vt aduersus Scot. bene probat Soto lib. 2. de iust. & iur. q. 4. art. 4. per totum.

Secundo, quod in eadem sententiam mouet per text. Exod. 20. qui habet: Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua septimo autem die, Sabbathum Domini Dei tui est, non facies, in eo omne opus, &c. ex quibus verbis non obsecutè ostenditur, ea solum opera ibi, ne in die festo fiant, prohiberi, quæ aliis diebus fieri licebant: igitur peccata mortaliter nunquam liceat, c. ita ne, 32. q. 5. sequitur per illud præceptum, quatenus speciale est, sola illa opera prohiberi, quæ aliis diebus licite fieri possunt: quod confirmant verba omnia quæ sequuntur, inter que est illud; Inuentum tuum: quod etiam reperitur Denier. 5. c. additis illis, nempe, Bos & Asinus & omne iumentum tuum, & postea sequuntur illa; Et persequi ius, qui est intra portas tuas, vt requiescat: feruum & ancilla tua, sicut & tuis ex quibus iam facile intelliges de quiete corporis & non animæ dissonare. Fateor tamen, quod licet vt prædicabam, peccata mortaliter nunquam liceat, non tamen hoc peculiari præcepto de obseruatione festorum cauere, ac proinde peccatum mortale eidem directè non contrariatur: quo fit, vt circumstantia hæc, quamvis grauet, non tamen necessario consideranda est, quia non inducit nouum aliud peccatum.

Tertio, hæc eadem pars fulcitur, quia quemadmodum omni populo festa sunt ad orandum deputata, ita clericis omnes dies: & tamè nemo dicit, clericum bis peccare singulis diebus, quod femel mortaliter peccat. Nec obsecutè dicitur, totum festum populo ad quietem esse deputatum.

22 non autem oēs dies toto; Clericis ad orandū: Quia ꝑ non tenemur diebus festiuis in qualibet illorum parte orare: & præterea vnum clericum contingit peccare, quando alij clerici precibus horariis incumbant atque incumbere debent: non tamen ob hoc bis ille peccabit, vt in proposito aduertit & recte Nauar. *vbi supra, numer. 29.*

3 Quarto, eadem ꝑ sententia comprobatur quia præceptum de colendis festis, non est actius Christianis, quam Iudæis præceptum de Sabbatho colende, imo laxius, siquidem multa opera nobis licent diebus festiuis, quæ Iudæis minime licebant die Sabbathi, vt decoctio ciborum & similia, vt D. Tho. fatetur in 2. 2. q. 122. art. 4. ad 4. & tamen Iudæis solus exterior cultus & quies præcipiebatur extrema, vt docet idem Tho. *vbi supra, in corpore questionum.* Christianis ergo non est præcepta vtraque quies, corporis scilicet & animæ: sequeretur enim alias, quemuis mortali peccato infectum, quouis die festo sub pœna noui peccati teneri ad peccatorum contritionem: quod tamen irridet Caiet. 2. 2. q. 122. artic. 4. statim in prin. vbi D. Tho. in responsione dubij, statim post conclusionem dixit, præceptum illud Decalogi de colendo Sabbatho, solum de cultu exteriori fuisse editum, non de interiori, quia ad interiorum, qui oratione ac deuotione constat, magis inducitur homo ex interiori S. Spiritus instinctu, & ideo præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu, secund. aliquid sensibile signum: quod idem probauit ibi Caiet.

24 Quinto & vltimo, nostra hæc negative sententiâ perspicua sit ex communi alia sententiâ, quam plurimis allegatis, aduersus alios latissime probauit Nauar. in d. c. consideret, in prin. nu. 6. & seq. de penis. distin. 5. idem in Manuali Latin. c. 6. nu. 7. vbi dicit, communiore & probabiliore ꝑ esse, quæ habet, vt quamuis sit laudabile confiteri circumstantias, quæ ita peccatum adaugent, vt ex patto magnum, vel ex magno maius efficiant: hoc tamen non est necessarium, quando augmentum illud non est in causa, vt veniale mortale fiat vel speciem peccati mortalitatis in aliam non mutant, alias secus: Quam sententiam probare videtur Concilium Trident. sess. 14. cap. 5. & canon. 6. dum ibi declarat, circumstantias, quæ mutant speciem, esse confitendas: significat igitur à contrario sensu, alias non esse confitendas: argum. l. 1. §. huius loci, de offic. eius cui mandat. est iurisd. & in c. cum Apostolica de his que sunt à præf. sine consensu. vt recte expendit atque exillimauit Nauar. *vbi supra.* Hæc autem, de qua agimus, circumstantia, nempe diei festi, in quo commissum est peccatum, licet augeat peccatum, non tamen mutat speciem ipsius, quia non ex eo efficitur sacrilegium: Igitur quamuis laudabile sit eam confiteri, non ideo erit necessarium.

26 Quam ꝑ communem sententiam pro hæc secunda parte modo adductam limitari posse videntur Marfil. in 4. lib. sent. q. 12. art. 1. col. 3. ne procedat in circumstantiis, quæ non solum grauius simpliciter reddunt peccatum, sed quadam notabili ac omnib. euidenti grauate longe deformius efficiunt: cuius rei plura exempla assignat Nauar. in d. c. consideret, n. 13. qui deniq; cum videat, ex hæc eadem limitatione consequi occasionem plurimorum scrupulorum in bonis mentibus oriturorum, quibus tranquillitas animi tota pereat, quandoquidem vix etiam doctissimus in particulari iudicare possit, quæ grauitas fuerit necessario confitenda, & quæ non, facilius esse arbitretur defendere præfatam communem conclusionem, absq; præd. limitatione, quæ cum ea ac proinde aliis rationibus eam explodit ac reuocat respondetque exemplis *supra* à se assignatis pro præd. limitatione, ipsa non obstat, quia dici potest, necessarium esse in illis fere semper circumstantiam eiusmodi confiteri, non ideo solum quia grauat, sed quia, vt plurimum, peccatorum

numerum auget, & per illius circumstantiæ confessio nem explicite vel implicite colligitur numerus verosimilis peccatorum, vel auget restituendi obligationem: & ita vt restitutio iusta præcipiatur atq; determinata, sit quoque inquisitio & manifestatio illius damni: Raro namque illis casibus contingit, vnum tantum peccatum committi & restituendi obligationem non augeti. Non obstat ꝑ præterea illud exemplum eius: qui cum matre coiuit & ita incestum admittit, c. lex illa 36. q. 1. *gl. in auhent. de incest. in prin. verb. licuerit*, nam cum incestus hic longe ac omnibus euidenti grauitate deformior sit, quam alij multi, eam circumstantiam confitebitur. Quoniam respondetur, huiusmodi circumstantiam speciem ab aliis incestibus efficit differentem, non solum in linea, sed etiam in gradu, cum alia species sit incestus, quæ in linea & primo gradu committitur ascendenti, & alia, quæ in linea & cæteris gradibus collateralium. Metito igitur vt ex eadem communi sententiâ, absq; præd. limitatione præfata, qui matrem propriam carnaliter cognouit, teneatur eam circumstantiam, vt pote in linea & gradu mutantem speciem incestus ab aliis, confiteri: sicque Nauar. quamuis improbet præd. limitationem generalem, admittit tamen casus exceptos aliis rationibus, quæ sunt prædictæ.

Sed quia difficile est, iuxta veram Philosopham moralem, docere, incestum cum matre admittum, differre specie ab incestu cum sorore, probabilis videtur præd. limitatio, nempe non solum circumstantias mutantem speciem necessario esse confitendas, sed etiam illas, quæ notabiliter aggrauant, ita vt ex cognitione earum longe aliter iudicet spiritualis iudex de deformitate, quæ fuit in animo penitentis, vt in exemplis *supra* factis & similib. non tamen sic aggrauat circumstantia diei festi.

Hinc dubitari ꝑ iure optimo poterit cuiusdam opinionis Domin. à Sor. in 4. distin. 18. q. 2. art. 4. existimantis, non esse necessarium confiteri virginittatis circumstantiam, id est, quod is, qui confitetur, est virgo, si voluntas fornicandi non peruenit ad actum, quamuis secus sit, quando peruenit. Hæc etenim sententiâ falsa videtur, quia peccata voluntatis & operis vni eiusdem speciei, & solum differunt secund. diuersos gradus peccati, hoc est, secund. maiorem vel minorem malitiam, vt docet ꝑ S. Thom. 1. 2. q. 2. art. 7. & explicat Nauar. in d. Manual. Lat. c. 6. nu. 7. & c. 16. nu. 9. & probatur ex illo: *Qui viderit mulierem ad con. vspicendum eam, iam est mœchatus in corde suo*: vnde fit, vt stuprum mentale, quod est voluntas habendi copulam cum virgine, aut cum sit virgo, erit eiusdem speciei, cuius stuprum reale, quod est ipsa copula, & si quis eam habuit, debet confiteri illam circumstantiam, vt ipse Sor. fatetur: Ergo etiam debet confiteri, qui eam efficaciter voluit habere, licet non habuerit, cum alia species luxuriæ sit, velle fornicari cum virgine, vel cum sit virgo, & alia, velle fornicari cum corrupta, vel cum sit corruptus vel corrupta, vt in specie rectius quidem meo iudicio contra Sor. probauit Nauar. d. c. 6. nu. 7. & F. Ioseph. Angl. in suis flor. Theol. *quæst. q. de cōfess. in d. c. an circumstantia stupri sit necessario confitenda*, vbi dicit contra Sor. esse communem, opin. dist. 17. quam probat statim ibid. in *concl. limitans*, quando confessor statim feminæ nouerat: ac proinde nobis non nocet præfata Sor. opinionis reprobatio. Non ꝑ obstant etiam alie plures limitationes, quas eidem communi sententiæ cumulat Nau. ibi & m. seq. quoniam singulari suam differentem à nostræ quæst. terminis rationem habent vt videri potest.

His solidissimis fundamentis probata nostra hæc de sententiâ negativa lucida apparet, quibus proluxæ responsiones Cordubens. minime satisfaciunt, quia potius euasiones dici possunt: quam veræ solutiones: consequens igitur sit, vt eam omnino admittere debeamus: Quando

Quandoquidem etiam grauissimorum virorum concursu approbata quoque sit. Eam namque in primis amplectuntur atque approbant Caiet. in 2. c. 7. art. 3. & 2. 1. qu. 122. art. 4. & in *summa, verb. dies festos*, & in opus. 27. qu. quodlib. 10. fol. 55. & ante Decum Syluest. in *sua summa, verb. circumstantia, q. 3. & verb. confessio, 1. q. 10. & verb. Dominica, q. fin. & latus in aurea rosa, casu 39. vbi refert, super hac quæstione doctissimos quosque ordinis Dominicani conuenisse, & Jacob Alina in 4. distin. 17. quæst. 1. *versic. nec solum*, & in lib. concordant. *oppositioium distorum* Thom. Aquinat. in *dubio 348. Victoria in summa de confess. q. 195. dicens*, quod licet grauius sit peccare in die festo, non tamen est grauius necessario confitenda, & quod confessores debent de hoc admonere penitentes. Tum præterea eandem sententiâ aduersus priorum ex professio p. vni probauit Dominic. à Sor. lib. 2. de iust. & iur. q. 4. art. 4. & latissime Nauar. in d. c. consideret, in prin. num. 12. & plurib. *seqq.* vbi inquit, quod inter recentiores hæc incipit esse frequentior opinio: eandem sequitur idem Nauar. in *manual. Latin. c. 6. n. 9.* & absq; dubio probauit Couar. in *c. alma mater, 1. part. relect. §. 3. n. 3. de sentent. excommunic. lib. 6. & Armil. aurea, in verb. festum, sine feria n. 2. & nouissime, nec non & breuissime, Ioseph. Angl. in suis floribus Theol. *quæst. 9. de confess. in d. c. an circumstantia diei festi sit necessario confitenda, pag. 288.* Possent tamen hæc verissima sententiâ & tenenda limitari & prior communis saluari, quando ea mente quis peccaret, vt festum ipsum violaret, & idem dicendum esse de circumstantia diei, qui ieiunio vel orationi est deputatus: ita Nau. in d. c. consideret, in prin. n. 32. & 40. & in *manual. dist. c. n. 9.* quod nos quoque probamus.**

Superest modo, vt ad argumenta contrariæ partis respondeamus, ex quorum responsionibus, & nostra verissima sententiâ corroboretur.

31 Ad primum, nempe ꝑ de c. consideret, in prin. respondeo, multa in eodem consilio dicta esse, è quorum numero sunt ea, quæ de temporis circumstantia confitenda colligi possunt, quamuis cæteris partibus grauius sit peccatum, die festo & orationi vel ieiunio deputato admittum, propter quandam irreuerentiam, quæ licet præter intentionem & propositum consequitur peccatum, non tamen in aliam transferretur: ita illa verba text. *Omnis ista varietas confitenda est*, interpretanda sunt de bono consilio, non autem de præcepto, nisi varietas illa talis sit, quæ peccatum in aliam speciem lethalem transferat: ita existimat intelligendum text. illum Nauar. *ibid. n. 32.* cuius intellectus ex superioribus satis comprobatur.

Ad secundum negamus, peccatum mortale in festo die admittum, specialem cum ratione repugnantiam habere, & propterea speciali præcepto prohibendum esse. Præceptum n. de colendis festis, quæ ex parte sensum habet mysticum & continet ab omni peccato abstinentiam & mētis in Deo quietem, ad finem extrinsecum illius præcepti pertinet: at ex parte, quæ præceptum illud iuxta literalem sensum est accipiendum & secundum id, quod illo præcepto fit, prohibentur extrinsecas operationes feruiles, non ea ratione, quod sint peccata, sed quod sint opera feruilia exteriora, vt explicat S. Tho. in d. q. 122. art. 4. Peccata igitur in eo iuxta literalem atque specialem sensum non comprehenduntur ac proinde per ea præceptum ipsum non violatur: quo fit, vt circumstantia præd. necessitatio non sit confitenda ex *supradictis.*

32 Ad tertium Ioan. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, respondemus quod procedit ac intelligitur de seruitute metaphorica ac similitudinaria, & non vera & propria: vero opus feruile ac mechanicum manuali loquitur, & præceptum hoc; *Omnis opus feruile non facies,*

ad metaphoricum, quale est peccatum, extendi non debet: & quod peccatum non sit opus feruile proprie & ad literam intellectum, patet Exod. 1. 2. 6. 20. 23. & Leuit. 23. vbi nomine operis feruili ibi prohibitis explicatur opus mechanica seu manualia exteriora, non autem fornicatio homicidium, ludus detractio: Nam peccatum, vt peccatum est, solum mystice & spiritualiter opus feruile est, secund. Thom. in 3. sentent. dist. 17. q. 1. art. 1. q. 2. & super Matth. 12. & Alex. Alenf. 3. part. q. 32. memb. 1. & 4. art. 1. & memb. 5. art. 2. & Abulens. Exod. 1. 2. q. 24. & 25. vbi inquit, quod opus feruile in hoc præcepto prohibuitur mortaliter, est operatio laboriosa potentia exequutiua corporalis, nulla vigente causa ad humanam vitam oportuna: formaliter autem opus feruile est præd. operatio corporalis mercenarij facta propter lucrum: at peccatum, vt est peccatum, non est huiusmodi: ergo non est ad literam intellectum nec prohibitum in dicto præcepto.

Ad quartum ꝑ respondet Melchior Can. in *relect. de 33 penit. 4. part. ad fin.* quem sequitur in hoc Couar. *vbi supra in ver. ad tertium*, nempe, quod lex illa verus aboluta est, nec non obligat, nisi ea parte, qua legis natura præcepta continet: deinde, quod lex illa de certo quadam die loquebatur, quod festum propitiacionis erat, vbi sacerdos semel in anno peculiariter pro peccatis populi orationem fundebat ad Deum atque hostias offerbat, vt quod nunc Ecclesia facit, semel in anno obligans ad penitentia Sacramentum. tunc in veteri illo populo præsignaretur, nec erat lex, quæ singulari festis & Sabbathis hanc animi afflictionem præscriberet, siquidem & nunc in lege Evangelica non obligamur speciali præcepto nec diuino nec humano, ad agendum diebus festis penitentiam.

Ad quintum ꝑ respondeo, illa dicta Ambrosij. August. 34 & Theophil. procedere secundum sensum mysticum illius præcepti Sabbatho colendo, quoniam secundum sensum literalem ineluctabilia essent: Nemo enim audebit dicere, per illud præceptum; *Non facies omne opus feruile in Sabbatho*, non fuisse opera manualia, etiam de se non mala, prohibita Iudæis; neque negare, ita eos vbiq; & semper intellexisse & in hunc vsque diem intelligere. Præterea præceptum de Dominicis die colendo, quoad prohibitionem operum attinet, est conforme præcepto illi diuino de Sabbatho colendo, quemuis parte aliqua sit laxius, vt *supra* probauimus & tamen constat per hoc præceptum de Dominicis die colendo, multa nobis opera manualia & quæ alioqui non sunt peccata esse prohibita; Ergo & illis illa prohibebantur, quæ videntur prædicti Doct. negare: Patet ergo, eos secundum sensum mysticum loqui, vt declarat Nauar. in d. c. consideret, in prin. num. 39. ad fin. & Sor. *vbi supra ad 1.* quicquid in contrarium replicet, non tamen sufficiens, Cord. *vbi supra in 2. opin. in ver. sed certe*, eius namque replica minime concludit, quia et si in festo prohibebatur peccatum mortale & ita contrarietur fini, in quem illud præceptum tendit, aut magis, quam opus feruile mechanicum, non ideo sequitur, specialiter hoc prohiberi in prædicto præcepto, sicut opus feruile: Nam non ita repugnat peccatum mortale præcepto ipsi, sicut opus mechanicum; Quandoquidem hoc ad literam prohibetur & inter omnes conuenit aliud esse quod præcipitur, aliud finem, in quem præceptum tendit, quia præceptum traditur non desine, sed de his, quæ ad illum ordinantur, vt cum S. Thom. probat Nauar. in d. c. consideret, n. 6. Vnde Patres illi volunt, magis contra finem præcepti huius peccare, qui peccatum ali quod committit in die festo, quam qui opus feruile licite operatur. Præterea illud Diui Augustini. de decem chordis supra citatum, verum fatemur, non tamen nostræ sententiæ repugnat: Quoniam et si minus malum sit, arare bobus & fodere lignibus die festo,

festo, quam seditionem in populo excitare & praeerea filare aut exere die festo, potius quam lasciuie saltare, id tamen est, quia magis repugnat fini praeccepti, scilicet, vnioni animae cum Deo, lasciuie saltare, quam arate vel filare, &c.

35 Sextum etiam non obest; Nam quamuis circumstantia loci facti omne peccatum grauius re idat secundum accidens, non tamen est necessario confitenda, nisi quando ipsam opus vel actus coerariatur, id est ei, cui locus est sanctificatus, qualis est humani sanguinis vel feminis effusio vel violenta abstractio eorum, qui ad ecclesiam confugiunt, vel quod fit contra sepulcrum vel contra diuinam cultum vel libertatem ad illam confugientium & depositatum rerum & familia; Per hanc n. omnia directe & per se loco facti iniuria fit & ipse locus facit violatur, vnde ratio facit legi sunt: scus autem est de his, qui non directe & per se violant locum factum nec illi per se iniuriam inferunt, vt qui in Ecclesia committunt peccatum aliud quod superbiae petunt, aut gulae, &c. namque non tenentur necessario confiteri circumstantiam loci facti, neque qui in eodem loco existentes desiderant extra illum occidere, scire vel fornicari, dummodo non percipiant id committere in eodem loco facti, hoc enim casu etiam extra locum factum existit: et circumstantia facit legi, quod in eo admittunt, confiteri tenentur, vt haec omnia bene probauit Nauar. in d. manual. c. 6. n. 9. in fin. & 10. idem in eff. cu. breuius tamen tenet Victoria in summa de conf. q. 176. Iosep. Ang. ubi sup. n. diffinitae; an quilibet peccatum in loco sacro commissum speciem mutet: sic ergo & pariter procedet argument. de loco ad tempus & contra, supra pro pioi parte forma- tum, vt non in omni peccato circumstantia facti sit neces- sario confitenda, sed tantum in illo, quod speciatim in die festo fieri prohibetur, quale est arare, scire & familia opera feruilia manualia.

36 Ad septimum hoc est Concilium Colonienfe respon- deo, illud Concil. non esse generale, sed tantum pro- uinciale nec esse approbatum a sede Apostolica: imo vero non solum in hac re deceptum fuit, sed etiam in ma- teria iudificationis errauit.

37 Ad octauum f. de doctrina Diui Thom. 2. 2. q. 2. art. 4. ad 3. respondendum, quod cum ait, peccata aduersari ob- seruantia Sabbati, non intelligit quantum ab substantiam praeccepti, sed quantum ad eius finem: refertur n. praec- ceptum hoc ad vocandum Deo & diuinis, cui quidem fini pugnantius obstitit peccatum, quam opus feruile, & ob id peius est fornicari in die festo, quam arare, non quod per fornicationem violetur festum, sed quod peius per se peccatum sit & fini praeccepti repugnantius, quod autem ab idem subdit, Christianis obseruandum esse Sabbathum spiritualiter, non dicit, quasi illa sit substantia praec- cepti, vt qui sic non seruauerit, transgressor eius sit, sed quod ille sit modus seruandus ad intentionem praecipien- tis, vt seruetur in spe futurae quietis, quam nobis promit- tit Dominus; & quod iste sit sensus d. Doctores patet, quoniam confert Christianum cum Iudaeo, dicens: quod Iudaeus seruabat illud in figura, nos autem seruare debemus in spiritu: & tamen quantum ad substantiam praeccepti, eodem modo tenebantur illi, sicut nos: Ergo sensus ille spiritualis non est de substantia praeccepti, vt recte expo- nit Soc. ubi supra. post Caiet. in proprio loco, dum expli- cat Sancti Thom. ubi supra, vt loquatur de praeccepto Sab- bathi colendi iuxta mysticum sensum, aut praeccepto isto, quantum ad eius finem, quod & sequitur Couar. ubi sup. ad quartum. Eodem modo fati sit auctoritati S. Bonauen- turae, supra in praedicto octauo fundamento adductae, &

38 praeterea, vt respondimus ad 5. Nec obstat, quod in dubio ruior pars sit eligenda, quia negamus in hoc casu rem esse dubiam: Quoniam quando aliquid creditur

esse verum per legem, rationem & auctoritatem suffi- cientem, non conerit res dubia, etiam si contractum maior pars doctentium tenet, vt in capellanus de feris, & in l. 2. s. sed neque. C. de ver. iur. emul. facti text. in c. Ni- cana 31. dist. Praemaxime, quia f. non l. i. per ruior pars eligenda est, cum fati sit eligere tutam, vt bene decla- ret B. Anc. in sua summa, 1. part. tit. 10. §. 10. col. 6. glof. 2. recepta in d. capellanus, quam dixit singul. Alex. conf. 1. lib. 2. col. 4. quoniam f. est verum sit, cum peccare mor- taliter, qui facit aliquid dubitans, an sit peccatum morta- le, nec ne, iuxta illud celef. Qui amat periculum, perbit in illo: aliud tamen est dubitare, an tale quid fit facien- dum, f. aliud credere ratione probabili & auctoritate ali- cuius illustris Doctores id admonerit, secund. Anr. pul- cre ubi sup. & latius obtimeque Nauar. in cap. si quis au- tem, de pamt. dist. 7. super illis verbis: Tene verum & re- lingue incertum, num. 3. & plurib. seq. idem in c. confideret, in princ. n. 38. de pamt. dist. 5.

Remanet igitur ex omnibus supradictis dilucida. illu- stris atque ab spinis, qui eam suffocare videbantur, libe- rata noita verissima secunda sententia atque communi recentiorum calculo probata, vt circumstantia diei festi, quo peccatum admittum est, non sit necessario confiten- da, quamuis laudabile sit eam facerdoti propalare, praeter- quam si peccatum commissum eam mente ab aliquo esset, vt f. situm violaret, quia tunc necessario est confitenda.

S Y M M A R I V M.

- 1 Monasterium capax successione an excludat substitutum vocatum sub ea conditione; si institutus sine liberis legitimis & naturalibus decesserit, vel sine liberis ex se legitime descendentibus, vel ex suo corpore procreatis: & num. seq. & per totum capit.
- 2 Monasterium loco filij habetur, & n. seq. contractum n. 45. sed procedit per fictionem, non vero secundum veritatem, n. 8. & 15.
- 3 Condicio, si sine liberis, decesserit, monasterium ingre- diente grauo pro invalida & non scripta habetur.
- 4 An hoc procedat in foro conscientia?
- 5 Ius Pontificum magis sequitur legem Dei, quam se- culi.
- 6 Ius Canonicum animas ad Deum dirigit.
- 7 Credendum est, talem fuisse testatoris voluntatem sicut lex ipsa constituit, & interpretatur, tametsi verbis refragari quodammodo videatur.
- 9 Condicio debet adimpleri in specifica forma atque ad vnguem obseruari, non vero per fictionem.
- 10 Filius situs, civilis & iusproprius non excludit substi- tutum, sub ea conditione vocatum; si grauat sine liberis decesserit.
- 11 Fictio a lege introducta super eo, de quo lex ipsa dispo- nere potest, habetur pro veritate.
- 12 Monasterium excludit substitutum vocatum sub con- ditione, si grauat sine liberis decesserit, ne scilicet religionis professio impediatur & ne quis a vita con- templatina eueratur: sed hoc non est presumendum, vt in n. 57.
- 13 Condicio, qua auertit a matrimonio carnali, cititur.
- 14 Fortiori ratione ruiocenda est illa, qua a matrimonio spirituali detinet.
- 15 Legatum factum puella decemum, si nupterit, & quin- quaginta, si religionem ingrediatur, consequitur ma- lier maui, etiam si religionem ingrediatur, nisi relin- quatur simul ei, qui dicit eam uxorem: addi tamen testator, quod legatum sit pretium dotis, ne alias maritus sibi habeat legatum, n. 16. Limitatur etiam si legatum sit relitum pro dote mulieris, vt imbat certa persona, num. 17. Fallit quoque, si contrarium expresse testator conerit, num. 16. Item in legato factio pro in- gressis

- 19 Text. in athen. de sanctis. Episcop. §. sed & hoc praesenti, collatione 9. cum siml. exorbitans est a regulis iuris communitis & a mente testatoris, ideo non debet extendi ad alios terminos vel casus.
- 21 Relitum pro causadoris, necessario intelligitur pro ma- trimonio carnali.
- 22 Symonia an sit, exigere & dare dotem pro monialibus recipiendis in monasterio, & n. 61. & seqq.
- 23 Relitum mulieri, eo adiecto grauamine, vt alteri resti- tuat, si nupterit, consequitur ipsa mulier, etiam si nubat.
- 24 Plurimi auctores referuntur, tenentes & restantes esse commitem opinionem, quod in principali quaestione posita num. 1. monasterium excludat substitutum: fal- li primo, in monasterio in communi incapace bono rum, num. 2. §. Secundo fallit, quoniam clare constaret ne expressa voluntate testatoris in contrarium, numer. 23. Tertio fallit, si in conditione praedicta exprimeretur de veris & naturalibus filiis, non per iuris inter- pretationem, vel de eorum vero & non ficto matrimo- nio aut per alia verba a quipollentia, que necessario in- ferant de exclusione monasterij cogitatum, n. 27. & 28. Fallit etiam, si appareret, testatoris voluisse agna- tionem consillere bonaque in familia conseruari, num. 29. Fallit etiam, si substitutum sit filius testatoris, vt in n. 31. §. 2. & 35. quamuis alij contrarium teneant, vt in n. 35. & 34.

- 30 Condicio in maioribus adiecta, vt in eis non succe- dant monachi nec presbyteri, valida est.
- 34 In bonis extra legitimam, magis fauetur monasterio & pia causa, quam filio, sed contra n. 36. ubi de intelle- ctu text. in c. quicumque 17. q. 4.
- 35 Melioratus filius in tertia hereditatis parte, cum gra- uamine, vt sine liberis decesserit, alteri filio testa- toris relitatur, si monasterium ingrediatur, non suc- cedit monasterium in ea parte, que legitima est filio- rum, sed alter filius vocatus.
- 37 Monasterium non excludit filium testatoris substitutum; si pia causa secundo loco substituta sit: quod procedit, etiam si primus substitutus sit extraneus, nu- mero 38.
- 39 Text. in d. §. sed & hoc praesenti, athen. de sanctis. Epif- copis, non procedit, si alia pia causa fuerit substituta, quamuis non sit aequa pia causa ac illud monaste- rium, vt in n. 40.
- 41 Monasterium quod non excludat substitutum sub con- ditione, si grauat decesserit sine liberis legitimis & naturalibus, vel sine liberis ex se legitime descen- dentibus, vel ex suo corpore procreatis, late pro- batur, & n. seqq. & n. 5. 2. referuntur plures auctores eam tenentes, restantesque commitem, & n. 53. ea eli- gitur ab auctore.
- 42 Sub simplici conditione non continetur mixta.
- 43 Fauris ratio attendi non debet, cum ius ruior leditur.
- 44 Favorabilis more dici non potest ea dispositio, que mix- tum in se fauorem & odium continet.
- 45 Dispositio dict. §. sed & hoc praesenti, non est trahenda extendenda ad alios casus & conditiones, quam in eo expressas, nempe proprium sine defectu liberorum.
- 46 Text. in dict. §. sed & hoc praesenti, non habet locum, ubi verba testatoris clara sunt eiusque mentem significan- tia, ex quibus voluit dispositionem suam naturaliter, non autem civiliter & per fictionem intelligi.
- 47 Communis usus loquendi semper attendi debet.
- 48 Cum manifestus est testatoris sensus, verborum interpre- tatio nunquam tantum valet, vt melior sensus ex- sistat.

- 49 Substitutio, si institutus decesserit sine filio, intelligi- tur de filiis veris, non de fictis & quomodo hoc intelli- gatur.
- 50 In potestate instituti esse non debet, substitutionem a testatore factam illudere, irritamque reddere.
- 51 Filius adoptiuus non operatur defectum substitutionis factae alicui, si sine liberis decesserit.
- 56 Monasterium non habetur pro filio, nisi tantum in ca- sibus a iure expressis & ad alios non extendatur, cum hac sit fictio quadam.
- 59 Doctores nostri plerumque rationes non perscrutantur & aues imitantur, que quando una volat, alia omnes sequuntur, & communis opinio non attenditur, quando alia opinio contra communem fundata est melioribus rationibus.
- 61 Pius receptissimus habet sine scrupulo, vt licite exigat- tur dot pro moniali.
- 62 Monasterium si egens sit, potest acceptare dotem pro alimentis monialis, absque symonia.
- 63 Praefecta monasterium monialium, etiam si sit exple- tus numerus earum, que ali possunt ex redditis mo- nasterij, absque culpa possunt sufficenter dotatas ad- mittere.
- 64 Moniales plures recipi non debent, quam ali possunt ex redditis monasterij.
- 65 Monasterium monialium egens, ex pacto nihil aliud pro dote monialis recipere potest, praeter illud, quod aliende moniali sit necessarium.
- 66 Consuetudo & vsus Hispania in recipiendis monia- libus.
- 67 Numerus monialium ubi non est impletus, monaste- riumque dines sit, illicitum esset, dotem ab ingredien- tibus exigere, hoc autem cessante, licet, vt in n. 68.
- 69 Prodigia expensa & profana apparatus fieri solui ex pacto tacito, vel expresse, dum vel ingrediatur mona- sterium vel professio: em emittunt, non sunt liciti.
- 70 Capit. fin. cum similibus, de sentent. & re iudic. loquens in matrimonio, liberarie, dote seu testamento, locum habet in quacunque alia causa fauorabilis, prout est monasterij seu Ecclesiae.
- 71 Sic personis fauorabilibus debitores sumus in iustitia, quod aliis iniustitiam facere non debem- mu.
- 72 Dispositioni text. in d. §. sed & hoc praesenti, non cen- setur satisfactum ex solo sacerdotio.
- 73 Limitatur hoc, si clericus bona sua dedisset Capella, cuius factus sit sacerdos, vel si omnia bona sua vel saltem hereditatem sibi relictam expendat in piis causis.

C A P V T XXXII.

Monasterium an excludat substitutum, sub conditione vocatum, si institutus sine liberis legitimis & naturalibus decesserit, vel sine liberis, ex se legiti- me descendentibus vel ex suo corpore procreatis?

CONTROVERSA in iure plurimum est ac dif- ficilis quaestio illa insignis; An monasterium capax successione excludat substitutum vocatum sub ea conditione, si institutus sine liberis legitimis & naturalibus decesserit, vel sine liberis ex se legitime descendentibus, vel ex suo corpore procreatis? Qua in re pars affirmatiua sequentibus fortissimis fundamentis & auctoritatibus astruitur.

Primo, quia monasterium loco filij habetur, vt in c. in presentia, de probat. ubi probatur, quod substitutum alicui facta, si sine liberis decesserit, euanciscit per in- gressum monasterij, quia non est intelligendum sine haerede decedere, qui monasterium sibi haerem instituit,